



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. II. De habitu Clericali competente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. I. De Synodo majore Osna-
brugensi typis data, & ejus copia ab
Ecclesiasticis procuranda.

MAndamus vero, tenore præsentium, di-
strictè & sub arbitraria Nobis pœna,
omnibus & singulis Prælati, & aliis in digni-
tatis & officiis Ecclesiasticis constitutis,
Canonicis, Pastoribus, Curatis, Sacellanis, &
aliis Clericis ac beneficiatis quibuscunque, ut,
post publicationem hanc typis factam, exem-
plaria sufficientia hujus Synodi sibi compa-
rent, nec ullus sit, qui non exemplar harum
constitutionum Synodaliū habeat, diligen-
ter legat & requisitus ostendere possit.

¹ Gen. 49.
v. 29. &
50. v. 2.
Ep̄ seqq.
& v. 26.
Deut. 34.
v. 8.

CAP. II. De habitu clericali
competente.

HAbitum clericalem, statui, honori & or-
dini Ecclesiastico convenientem, in mul-
tis Ecclesiasticis adhuc desiderari, nec in hoc,
tam generalibus functionibus canonicis, etiam
pœnalibus, quam Prædecessoris Nostri &
Nostri Synodalibus constitutionibus, satisfac-
tum esse, animadvertimus. Quare iterum post
tot monitiones serio mandamus omnibus &
singulis, sub pœna Iuris & alia Nobis arbitra-
ria, ut legum Ecclesiasticarum & iustis No-
stris obtemperent.

CAP. III. De Exequiarum ac funerum
Catholicis ritibus reducendis.

CVræ mortuorum, & piarum Exequiarum
antiquitati, utrumque Testamentum suf-
fragatur; ¹ magnaque religione præcis tempo-
ribus Christianorum funera sunt curata. Qua
ratione Nos etiam volumus, ut eorum funera,
qui in vera religione ac cum pietate dormitio-
nem acceperunt, competenti modo ducantur;
mandamusque tenore præsentium, ut, in sepul-
tura mortuorum, Catholici ritus ac cæremoni-
æ veteres in usum iterum revocentur, & se-
cundum Pastorale Romanum exercentur; ne-
que existimetur superfluum esse aut inane, si
mortuis iusta funebria ² fiant, quod ea ad mu-
tuam inter nos benevolentiam declarandam,
spem resurrectionis profitendâ & excitandam
& mortalitatis admonitionem multum valeant.

CAP. IV. De nominibus communican-
tium & non communicantium in Pa-
schate notandis & exhibendis.

CVm etiam, ut oves Nostras, quæque ad
Covile gregis Nostri pertinent, propius
agnoscamus, plurimum Nostrâ interit; vo-
lumus, ut singuli Pastores quarumcunque Pa-
rochialium Ecclesiarum omni modo satagant,
ut omnium in Paschate confitentium & com-
municantium nomina, quatenus fieri potest,

² Chrysoſt.
hom. 4. in
2. ep̄st. ad
Hebr.

ordine, per vicus, plateas, & familias, diligen-
ter notata, intra tres septimanas, à Paschate se-
quentes, Nobis aut Nostro Vicario in spiri-
tualibus exhibeant; uti etiam non communi-
cantium nomina denotent. Per Paschale au-
tem tempus intelligimus illud, quod à Domi-
nica Lætare usque ad Dominicam in Albis
inclusive intercedit; quo tempore omnes Ca-
tholici præcepto S. Matris Ecclesiæ satisfacere
teneantur.

CAP. V. De nominibus conversorum in
Civitate & Diœcesi notandis &
exhibendis.

I^Tem mandamus, ut eorum qui in Civitate
Nostra Osna-brugensi ad fidem Catholicam
redeunt, nomina singulis septimanis, in oppi-
dis vero & pagis, singulis mensibus, Nobis
aut Vicario Nostro tradantur à singulis Cura-
tis, & Religiosis qui confessiones de Nostra
licentia vel suorum superiorum excipiunt.

CAP. VI. De Inventario supellectilis
sacræ literarum ac monumentorum, &
rationibus Ecclesiarum exhibendis.

E^X gravibus causis, animum Nostrum ad
hoc moventibus, & ne Ecclesiæ Diœcesis
Nostræ ornatu & apparatu necessario de-
fertiæ permaneant, volumus, ut Pastores, intra
mensē ab harum promulgatione sequentem,
omnium & singulorum mobilium, Calicum,
hierothecarum, Reliquiarum, paramentorum
sacerdotalium, corporalium, mapparum &
quorumcunque instrumentorum utensilium,
& ornamentorum Ecclesiasticorum, legiti-
mum Inventarium ad Nos aut Nostri Vicari-
um transmittant. Item designationes litera-
rum, monumentorum ac Iurium Ecclesiæ, ac
ubi, quomodo, quibus sub custodibus ac cu-
stodiis ea conserventur.

Item, quatuor annorum ultimo elapsorum
rationes Ecclesiæ cum paratione & subscrip-
tione tam Pastoris cujuscunque loci quam
eorum qui reditus administrant.

Præterea, ut vos omnes & singuli de Clero
Nostro compendium eorum, quæ proxime ad
vitam & disciplinam Ecclesiasticam proximi-
que ædificationem pertinent, veluti in speculo
compendiosè contueri possitis; volumus, ut
singulis confessibus Synodalibus, in fine, ea
quæ in Pontificali Romano succincte con-
tinentur, Nostro nomine vobis prælegantur;
ut sequitur:

FRATRES dilectissimi, & Sacerdotes
Domini, cooperatores ordinis Nostri estis.
Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus;
vos autem locum Eleazari & Ithamari. Nos
vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad
formam septuaginta duorum Discipulorum
estis. Nos Pastores vestri sumus, vos autem
Pasto-